

## DOMINICA SEXTA POST EPIPHANIAM

EVANGELIUM MATTHÆI, CAP. XIII, VERS. 31

31. Aliam parabolam proposuit eis dicens : Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.

32. Quod minimum quidem est omnibus seminibus : cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cœli veniant, et habitent in ramis ejus.

33. Aliam parabolam locutus est eis : Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier, abscondit in farina satis tribus, donec fermentatum est totum.

34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis.

35. Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

## VERSUS 31.

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.*

*Simile est regnum cœlorum.*

1. — S. Hieronymus, in *Matth.*, per hoc regnum, prædicationem Evangelii interpretatur : « Regnum cœlorum prædicatione Evangelii est et notitia Scripturarum, quæ dicit ad vitam ; » in ejus confirmationem adducit id, quod Christus, *Matth.*, xxi, 43, incredulis Hebræis prædixerat : *Auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti, facienti fructus ejus.* S. Bonaventura idem se sentire ostendit, siquidem super S. Lucam, scribens, in hoc eodem proposito dicit : « Regnum cœlorum dicitur hic, a veritatis notitia et doctrina. »

2. — Communior tamen interpretum doctrina est, per regnum cœlorum, Ecclesiam militantem intelligi, quæ in primis suis principiis quidem et contemptibilem præ se speciem ferebat, utpote quæ fundata erat super duodecim pisces, eosque pauperes, idiotas, ludicos et ab unoquoque persecutionibus agitato, qui Christum prædicabant. *Judæis scandalum, gentibus stultitiam, vexillum exererunt crucis, quæ illis temporibus ignominiosissimum erat malefactorum supplicium, quale nunc apud nos est furca vel patibulum : Morte turpissima condemnemus eum.* Verumtamen scribit Dionysius Carthusianus, *ibid.*, sicut granum sinapis parvum et deforme in altum usque arborem crescit et proficit : « Sic Ecclesia in principio suo contemta et numero parva, crevit in populum infinitum, seu Ecclesiam a toto orbe diffusam, quando in omnem terram » exivit sonus eorum, id est, prædicatione Apostolorum. »

3. — Est quorundam sacerorum expositorum non

incongrua observatio, quod Christus in singulari numero granum dixerit. Unde Paulus de Palatio, in *Matth.*, ait : « Non dicit grana, sed granum, quia heet plures simus, est tamen cor unum et anima una ; unus est nobis Deus, una fides, unum baptismum. » Eandem ponderationem apud Didacum Stellam, in *cap. xiii S. Lucæ*, invenio.

4. — S. Gregorius, in *Cat.*, per hoc granum sinapis, Salvatorem nostrum intelligit, dum ait : « Ipse quidem est granum sinapis, qui in horto sepultus, plantatus, arbor magna surrexit ; granum fuit cum moretur, arbor tum resurget ; granum per humilitatem carnis ; arbor per potentiam majestatis. » Idem quoque S. Hieronymus scribit. Chrysologus, *Serm. xxviii*, per agrum hujus grani, in quo crevit, uterum virginalem intelligit : « Christus est regnum cœlorum, qui velot granum sinapis in hortum virginei corporis missus, orbe a toto crucis in arborem crevit. » S. Ambrosius nihilominus hanc sinapis allusionem in Christo aliter considerat ; dum ait : « Granum est cum sepelitur in terra, arbor est cum elevatur ad cœlum. » Sicut granum sinapis minus est inter aha et vilis, ita quoque de Christo pariter dicitur : *Non erat ei aspectus, neque decor ; cœcinavit semetipsum ;* at vero in terra horti illius, ubi mortuus et sepultus permansit, reconditus, in adeo proceram arborem excrevit, secundum verbum Psalmi *Lxxix*, 12, *ut extendat palmites suos usque ad mare, imo ut usque ad ipsammet æterni Patris dexteram, visa sit ascendere, sedet a dextris Dei.* Et sicut Apostolus ait, *Phil.*, ii, 9 : *Deus exaltavit illum et dedit illi nomen, quod est super omne nomen, etc.*, adimpletumque est istud Isaie, *iv*, 2, oraculum dicentis : *Erit germen Domini in magnificèntia et fructus terra sublimis.* Ramos suos, id est, duodecim Apostolos et septuaginta duos discipulos per totum mundum extendit,

dum ait illis : *Euntes in mundum universum, prædicatè Evangelium omni creatura.*

5. — Per granum Ecclesia significatur, inquit Lyranus, *ibid.* Et Christus apud S. Mattheum, *xvii*, 19, dicit : *Si huberitis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic transi hanc, illuc, et transibit.* Porro fides nostra debilia principia habuit, ideoque principes synagoga, *Joan.*, vii, 28, dicebant : *Nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis ? sed turba hæc.* Primi ejus sectatores nonnulli fuere panperes, idiotæ et contemptibiles pisces. Quis autem est, qui nesciat, quousque fides ista excreverit, siquidem, ut S. Augustinus, *tr. vii in Joan.*, ait : « Per piscatorem lucratus est Imperatorum rem ? » adeo ut Constantinus Magnus, potentissimus ille mundi Monarcha, se magnopere honoratum existimavit, quando sibi pro eruentis et excavandis templi illius, ab ipso in honorem capitis horum piscatorum erecti, fundamentis, duodecim terræ copinos deportare licuit. Ingens hæc arbor sanguine Apostolorum rigata fuit : *Isti sunt, qui plantaverunt Ecclesiam sanguine suo, et successive ab illo copioso sanguinis imbre, quam alii innumeris martyres, pro Christi fide confictenda effuderunt, suasque inde radices adeo tenaciter et profunde in terram egit, ut nullus, quantumvis validus, persecutionum ventus, illam demoliri, aut prosternere prævaluerit ; siquidem portæ inferi non prævalerunt adversus eam.* S. Augustinus postquam aliquas hujus grani recensuisse proprietates, *Serm. lxxxii in appen.*, fidei easdem adaptat : « Ita ergo est fides christiana, prima fronte videtur esse parva, vilis et tenuis, non potentiam suam ostendens, non gratiam subministrans ; at ubi diversis tentationibus teri coperit, statim vigorem suum prodit, acrimoniam indicat, calorem Dominicæ credulitatis aspirat et tanto divini ignis ardore jactatur, ut et ipsa ferveat et participantes sibi ardere compellat. »

6. — Didacus Stella ex differentia principiorum mundi, in operibus suis, et principiorum Dei, hæc deducit moralitates, in *cap. i Luc.* : « Opera mundi splendidiorem habent exordium, sed malo fine clauduntur : Dei opera humili principio oriuntur, sed sed gloriosum habent finem, ecce hic granum parvum sinapis crevit in arborem magnam, et humilis Ecclesia nimis exaltata est : mundus omnia sua splendide incipit, sed in fine decipit. »

7. — Albertus Magnus, in *Matth.*, *cap. xii*, similiter hanc sinapis modicitatem in humilitate Ecclesie designatam esse agnoscit : « Regnum Dei ab humilitate maxima incipiens, grano sinapis, minuto valde inter semina, comparatur, quia nec a sapientia, nec a potentia incipit, nec a divitiis hujus mundi, sed potius, sicut dicitur, *I Cor.*, i, 27 : *Quæ stulta sunt hujus mundi elegit Deus, ut confundat fortia, hoc est, potestates mundi.* »

8. — S. Ambrosius, *lib. V, in cap. xxiii Luc.*, considerat, quod granum sinapis contusum et contritum acrimoniam suam foras emittat : « Granum a ejus certe res est vilis, et simplex ; si teri coeperit, vim suam fundit ; » etiam fides primo simplex videtur, sed si teratur adversis, « habuerit suæ virtutis effundit. » In persecutionibus probata est constantia martyrum, et Ecclesia locupletata est thesauro doctrinæ, et sapientiæ, tot Theologorum et sacrorum Doctorum, qui fidei nostræ veritatem defenderunt. Glossa interlinearis ibidem super hæc verba, sinapis proprietatem, quam habet, dum teritur, advertit : « Quanto plus teritur, tanto plus redolet. » Eodem modo dici potest, quod veritas nostræ religionis quanto magis a persecutionibus suis controvertitur et spernitur, tanto amplius infallibilitatis ejus justificatur, mundoque manifestatur. Glossa ordinaria dicit : « Grano sinapis comparatur pro fervore fidei, quia dicitur venena expellere, a id est, omnia dogmata pythalia. »

9. — Albertus Magnus, in *Matth.*, ad aliam quandam hujus grani qualitatem sese reflectit, dicens : « Est etiam modificativum, et hoc habet verbum fidei, quæ subtilissima est substantiæ in articulis, quæ omnes sunt de Trinitate. » Doctissimus Salmeron hanc considerationem prosequitur, *tom. VII, tr. viii*, et dicit : *Pervida est et subtilis substantia, redditeque ejus rationem, quia fides nostra bona pro objecto habet, quæ sunt invisibilia, justique in præmium promissa, sicut e contrario, sunt etiam comminata supplicia æterna quæ tamen modo sub sensu minime cadunt reprobis : » Articuli de los de allissimo ac plane recondito Trinitatis mysterio apprehendit ac concepit. » Albertus Magnus, *loc. cit.*, de hoc semine scribit : « Multum dilatatur quando contritur, acutum est et penetrativum, a dissolvit quoque et mundificat, quod et verbo fidei convenit, dilatatur enim ad æterna et temporalia, ad penas et gaudia, sed et vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior, etc. »*

10. — Chrysologus in hoc sinapi, prædicationem Evangelii et verbi Dei, *Hom. lxvii, in Matt.*, apprehendit : « Hæc quippe imagine prædicit prædicationem, per universum orbem omnino a coruscaturam. » Idem fere omnino apud Theophylactum, *ibid.*, his verbis scribitur invento : « Prædicatione est et Apostoli, pauci enim videntur a hi, et totum orbem occupaverunt, » siquidem certam est quod Evangelium, ipsorum opera, fuerit in omnes mundi partes extensum ? Unde est, quod Glossa, *ibid.*, per hujus arboris ramos prædicatores interpretatur : « Expandit ramos, in quibus volucres cœli quiescent, quia prædicatores dispersi in mundum, in quorum dictis et consolationibus a fideles ab hujus vite fatigatione respirarent. » Porro semen istud in tantum crevit, in quantum in



agro et horto plantatum fuit, ad denotandum quod verbum Evangelicum in corde et mente nostra recipi debeat ut copiosum et abundantem in Ecclesiam fructum referat. Albertus Magnus, *ibid.*, dicit: « Conferitur autem per meditationem eorum, quae creduntur. » Theophylactus in Lucam cap. xiii, hanc inter sinapi et verbum Dei analogiam observat. Hoc enim extrinsecus semen vile et contemptibile esse videtur, et tamen multas in se qualitates continet: « Ita et sermo Evangelii contemnitur quidem a multis, et apparet esse stultitia. Cum vero illud a homo susceperit, et miserit in hortum suae animae, arborem magnam facit, ita ut ramos dicat; » adducitque ad id probandum, stupendum illud S. Pauli exemplum, qui cum antea Saulus et Ecclesiae persecutor esset, postea quando ab Anania intra agrum animae suae granum hoc sinapis recepit, exinde adeo salutaris doctrina germinavit, ut cum fructu copiosissimo per universum mundum se extenderit, adeo ut in ramis sapientiae ipsius Dionysius Areopagita, Hierotheus, et plures alii discipuli illius nidificarent.

**11.** — S. Bonaventura, in cap. xiii Luc., per hoc regnum caelorum, in grano sinapis symbolizatum, aeternae veritatis notitiam, quae fides nostra doceret, significari dicit: « Quia revera regnum caelorum a non est aliud, quam perfecta notitia divinae veritatis, ideo grano sinapis assimilatur, quia ipsum est modicum mole, et magnum in virtute, sive fervore. » Ex qua modicitate et parvitate deducit contemptum, quem, tametsi ad magnum sapientiae gradum proveci fuerimus, de nobis ipsis tamen habere debemus: « In quo insinuat, quod nostra notitia debet esse humilis, secundum illud: *Noli altum sapere, sed time, et non plus sapere, quam oportet sapere, quia ut dicitur in Prov., xi, 2: Ubi humilitas, ibi et sapientia.* »

**12.** — Experientia docet, quod hoc semen inter dentes masticatum acrimonia sua adusque cerebrum penetret, ut Plinius videtur, elicique lacrymas: ita pariter in planctu et fletu, id est, in compunctione et contritione alicujus animae christianae, salus aeterna consistit: *Beati qui lugent.*

**13.** — Quando granum sinapis contunditur, virtus ejus foras emittitur: « Dedit sui saporem, » inquit Chrysologus, *Serm. xxviii*, de Christo per hoc granum symbolizato, « cum teritur passione, ut, quidquid est vitale, suo saporaret et condiret a tactu; corpore teri voluit, qui suam noluit latere virtutem. » Ex hac contusione, a qua ejus efficacia diffunditur, S. Gregorius hoc elicit documentum: « Non contritum, lenes est; si vero conteratur, inarcescit, et quod in se acerrimum latebat, ostendit, sic unusquisque vir sanctus, cum non pulsatur, despicibilis ac lenis aspicietur, si qua vero illum tritura persecutionis opprimat, mox omne quod calidum sapit, ostendit, atque in fervorem virtutis

« vertitur, quidquid in illo ante despicabile infrumumque videbatur. »

**14.** — S. Augustinus observat, *Serm. viii in append.*, quod sinapi etiam pro ciborum condimento deserviat: « Cujus etiam semen in cibum homines, » hyemis praecipue tempore, magna pro suavitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores aegerant, viscerum interna calefaciant. » Quae S. Propheta Job, vi, 6: *Poterit comedi insulsum, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare, quod gustatum offert mortem?* quasi dicat: Quoniam modo alicui jejuniarum, ciliciorum, vigiliarum, disciplinarum, cunctiorumque aliorum rigorum, vitam abbreviantium, austeritas placere poterit? vel quem gustum habere poterit in abnegationis propriae humilitatis et mortificationis acibus? Et tamen si haec omnino cum hujus grani contusi condimento, id est, eorum, quae Christus pro nobis passus fuit, seria meditatione, corpori nostro applicata fuerint, omnia dulcia et snavitate plena esse videbuntur: *Recoigit eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigarentur animis vestris deficientes. Hebr., xii, 3.* Adhuc dici potest omnia opera nostra ex viva memoria et praesentia Christi condenda esse, juxta illud Apostoli, I Cor., x, 31, consilium: *Stoe ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

**15.** — Semen istud magnum in se calorem continet. Unde S. Augustinus, *Serm. lxxxi, in append.*, ait: « Cibum flammis saporis exhalat, et tanto fervoris calore succenditur, ut mirum sit in tam frigoris tantum ignem fuisse conclusum. » Hic autem calor virtutem denotat charitatis, quae sola sufficit, ut nos regni caelorum possessores efficiat: « Est vaporativum, » inquit de hoc grano Albertus Magnus, *ibid.*, « per spiritum charitatem, » quia spirat spiritum vitae. » *Spiritu fervente*, inquit Apostolus, *Rom., ii, 11*, et paulo ante dixerat: *Sollicitudine non pigri*, siquidem tepiditas et desidia in via Dei, reprobationis signum est, sicut fervor charitatis et dilectionis caelestis signum est praedestinationis.

**16.** — S. Augustinus, *ibid.*, alias sinapis proprietates enumerat: « Saepae etiam ex hoc capite adhibentur medicamina, ut si quid invalidum, si quid aegrotum fuerit sinapis igne curetur, » unde fidei effectus spirituales et mysticos ascribit: « Ergo granum sinapis membrorum viscera calefacit, » fidei autem vigor cordium peccata comburit; « sinapis granum humorem decoquit corporum, » fides autem libidinum fluentia consumit. » Idem quoque Albertus Magnus, *ibid.*, scribit, dum ait: « Est dissolutivum concupiscentiarum. » Plinius, *lib. XX, xxii*, ait: « Est stomacho utilissimum contra omnia vitia. »

Quod accipiens homo seminavit in agro suo.

**17.** — Observandum, quod granum istud prius ab agricola in manus sumptum fuerit, et postea ab eodem fuerit in agro seminatum; ut per hoc innuatur, quod, cum per granum istud fides nostra denotetur, vel etiam praedicatio Evangelii, aut veritatum aeternarum notitia, necessum semper sit, ut haec omnia cum operibus conjuncta sint, utpote, quae correspondere debent ei, quod creditur, vel docetur; siquidem fides sine operibus mortua est. Non sufficit enim veritates fidei intelligere, credere, et cognoscere, nisi etiam per longum temporis spatium seria quadam meditatione mediante altas in corde nostro radices agant, *Joan., x, 24: Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum offert.* Et ideo priusquam granum istud germinet et fructum afferat, opus est, ut prius aliquandiu sub terra consistat. Haec enim est causa unica, cur tot animae fractus, culturae et semini, quod caelestis agricola super ipsas sparsit, correspondentes minime producant, quia Evangelicae veritates non meditantur: *Desolatio desolata est universa terra, quia non est, qui recoiget corde. Jerem., xi, 11.* Quod si Christianum aliquem interrogaveris, an immortalitatem animae, gaudiorum et poenarum aeternitatem, futurum denique finale iudicium, etc., firmiter credat; affirmative utique ad haec omnia respondebit; quoniam vero causa est, quod haec secus ac si illa non crederet, vivat et moriatur? Nimirum quia hoc sinapis granum in agro mentis et cordis sui satis profunde non recipit illud ipsum meditando et ruminando. Unde S. Hieronymus, in *Matth.*, verba illa, in agro suo, ita explicat, « id est, in semelipso, et in corde suo. Quis est iste, qui seminavit, nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum praedicationis, et fovens mentem, humorem fidei facit in agro pectoris sui pullulare. » Albertus Magnus, *ibid.*, per agrum, in quo seminatur, hoc sacrum orationis et meditationis exercitium intelligit, dum ait: « Ager cordis notat optimam exercitacionem per disciplinam. »

#### Additiones.

**a.** — *Simile est regnum caelorum grano sinapis, etc.* Regnum caelorum, in hac parabola, in qua cum grano sinapis confertur, aut est Ecclesia militans, aut est divina fides, aut potius est doctrina evangelica, seu notitia Evangelii. Optime tamen Hugo Cardinalis, per idem granum intelligit charitatem, quae calefacit cor; vel etiam scientiam Scripturarum, quae hauritur per lectionem et sic illuminat mentem. S. Joannes Climacus, *Scal. Pyrad. grad. xxxvii, 39*, ita scribit de lectura sacrorum Librorum: « Non medioeriter solet illustrare et colligere mentem lectio. Verba enim Spiritus

« Sanei sunt, et lectores omnino dirigunt et moderantur. » De qua eadem sacrum Scripturarum lectione, S. quoque Ephrem ita scribit: « Sacrum litterarum lectio donat in Deum cognitio-nem; scriptum est enim: *Vacate et videte, quae vian ego sum Deus.* Audis, frater, quod Dei scientiam accipiat qui simplici veroque corde divinis vacat Scripturis; idcirco, mi frater, vide, « ne negligas animam tuam, sed lectioni sedulo incumbere, ut mens tua illuminetur, fiasque perfectus, et integer, in nullo deficiens. » Libri sacri divina nobis exhibent attributa, essentiamque exprimit infinite illius majestatis, quam adorant Dominaciones, tremunt Potestates. « Omnes plane Scripturae sacrae, » ait S. Augustinus, *Serm. cxii de temp.*, « ad nostram saluam scripta sunt, ut proficiamus in eis, in veritatis agnitione. Saepius caecus offendit quam videns; sic ignorans legem Dei, saepius ignoranter peccat quam ille qui scit. » Sicut caecus sine ductore, sic homo sine doctore, « rectam viam vix graditur. Et ideo, fratres charissimi, quicumque ex vobis lectiones sacras legere et intelligere possunt, in his studium impendant. » Et quidem ab experientia haec dicitur S. Augustinus qui haeresi Manichaeorum imbutus et fidei catholicae inimicus, ad perfectam Dei notitiam, illis verbis: « Tolle, lege, » inductus, tandem ut ipsemet dicit: « Arripui, aperui, legi. Quasi luce serenitatis infusa cordi meo, omnes dubitationes a tenebrae ceciderunt. » Mox enim, ut Epistolae S. Pauli legere coepit, aliquod animae suae lumen communicari sensit, cui cooperando, illos postea sapientiae fulgore sibi acquisivit, quibuscum universam illuminavit Ecclesiam.

**b.** — Plinius, *lib. XX*, multas grani sinapis enumerat virtutes. 1<sup>o</sup> Igneam vim et habitum expirat quod inflammat hominem. 2<sup>o</sup> Utpote acre et mordax, lacrymas excitat. 3<sup>o</sup> Superfluitates ex cerebro purgat. 4<sup>o</sup> Tritum cum aeto, ad morsum scorpionum et serpentum inservit. 5<sup>o</sup> Vim veneni infringit ac compeccit. 6<sup>o</sup> Stomacho, pectori ac pulmonibus utilissimum est contra pravos humores. Valde peroptime haec omnia conveniunt lectioni Scripturarum, seu rerum spiritualium. 1<sup>o</sup> Hominem inflammant charitate, juxta sequentem S. Isidori sententiam: « Geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum, sive quia intellectum mentis erudit, sive quod a mundi vanitatibus abstractum a hominem ad amorem Dei perducit. Excitati enim saepe illius amore, subtrahamur a desiderio vitae humanae, atque accensis in amore sapientiae, tanto vana spes mortalitatis hujus nobis vilescent, quanto amplius, legendo spes aeterna claruerit. » 2<sup>o</sup> Ad lacrymas compunctionis ac amaritudinis movet, quia est veluti speculum quoddam, quod per reflexum divina nobis attributa ostendit, animam virtutibus venustat,



atque a culparum maculis emundat. 3<sup>o</sup> Ipsa sacra doctrina, quam ex lectione potissimum haurimus, una cum acritudine contritionis quam in nobis excitat, demonum morsus sanat. 4<sup>o</sup> Vim veneni a nobis peccatorum eicit, seu ut explicat S. Thomas, errores expellit. 5<sup>o</sup> Omnibus animæ potentiis medetur ac opitulatur: mentem illuminat, voluntatem dirigit, memoriam impingat, concupiscentias defœcat. Item quidquid arduum in virtutibus est, valde sapidum efficit, ut dulciter ac delectabiliter homo teneat et amplectatur.

e. — Regnum cœlorum grano sinapis assimilatur, cuius, quanto plus toritur, tanto plus redolet fragrantia, quia qui illud sibi vult acquirere, huic necessum est ut per attentam meditationem, mysteria fidei nostræ, ut ita dicam, masticeet et comminuat.

Querit S. Propheta Job, vi, 6: *Poterit comedi insulsium, quod non est sale conditum? aut potest aliquis gustare quod gustatum offert mortem.* Quasi dicat: Quoniam modo alicui jejuniorem, ciliciorum, vigiliarum, disciplinarum, cunctorumque aliorum rigorum vitam abbreviantium, austeritas placere poterit? vel quem gustum habere poterit in abnegationis propriæ, humilitatis et mortificationis actibus? Et tamen si hæc omnino, cum hujus generis condimento, id est, eorum quæ Christus passus fuit pro nobis, seria meditatione, corpori nostro applicata fuerint, omnia dulcia et suavitate plena esse videbuntur. Doctor Angelicus ait: « Cogitatio passionis Christi facit nos non deficiere. » Illud per sequentem probat S. Gregorius Magni sententiam, dicens: « Si passio Christi ad memoriam revocatur, nihil adeo durum est, quod non æquanimitè toleretur. » Unde B. Laurentius Justinianus salubriter monet, dicens: « Erigamus omnes nos qui Domino Jesu eligimus militare, mentis oculos, in crucem Domini cum tentamus; et leve existimabimus quod toleramus, in comparatione illius. » S. Antoninus sequentem historiam ad nostrum applicat propositum: « Legitur Exodi, xv, quod filiis Israel in deserto inventientibus aquas amaras, ut non possint libere, misso ligno de mandato Dei in aquis, dulcoratæ sunt, ut libèrent delectabiliter. Aquæ sunt tribulationes, quæ frequentes occurrunt in deserto hujus mundi, et in se amare sunt; sed ligno crucis misso, id est, meditatione habita de passione, efficiuntur dulces. »

d. — Tollit granum sinapis in ciborum delectu fastidium, ut experientia constat. Sintque cibi delicatissimi, si tamen in iis sumendis fastidium adicit nihil sunt. Si quoque est in virtutum exercitio donorumque cœlestium usu. Venerint a Deo in nos omnia virtutum delectamenta, venerint omnes cœlestes suavitates, dum granum sinapis non venerit, metuendum magis esset, ne omne

illud virtutum delectamentum nobis fastidia ingereret lethalia. Id præcavens Christus Dominus, cum cœlestem œconomiam in varias suavitates efformat, simul et illam efformat in granum sinapis, ut sciat homo quid sibi requirendum sit in virtutum assiduitate, ne hebescat virtutum conatus, et per longa fastidia mortem trahat. Monebat D. Paschasius, lib. VII in *Math.*, dicens: « Flammetur in pectore quo ignorantie totum a nobis auferat, sua degustatione fastidium et ferventes reddat. » Hoc tibi homo require quo fastidia pellantur, quo virtutum conatus magis ac magis in dies acuantur, ne ab assiduitate, in lethalia fastidia cadas. Deus enim in servitio suo sollicitudinem requirit. S. Paulus in hæc verba Romanis, xii, 11, scribit: *Sollicitudine non pigri, spiritu ferventes.* Hæc autem sollicitudo non eo fine ab eo requirebatur, ut per eandem divitiæ, honores, provinciæ ac regna acquirerentur; sed ut bona compararentur spiritualia, in cultu religionis christianæ, quem recenter amplexati fuerant. Dicit autem: *Spiritu ferventes*, quia volebat illos in cultu Dei ardentem, non vero flaccidos, languidos et otiosos, Vix hæc pronuntiaverat Apostolus, quando immediate subdit: *Domino servientes.* O quanto cum studio, sollicitudine, et fervore obsequia terrenis præstantur principibus! Natus eorum quodam modo conjectantur et intentiones; nulla in illorum servitio molestæ censetur vigilie et curæ. Quanto igitur rationalibus est ut non dissimilem in Dei servitio ardorem sollicitudinemque exhibeamus? *Utique indicabo tibi, o homo*, dicit Michæas, vi, 8, *quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te. Utique sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Deus namque oculo benigno nihil ita inter omnia virtutum opera respicit ac nostram sollicitudinem, nostrumque in divino servitio fervorem.

e. — Postquam homo accepit granum sinapis, non illud recondit, vel abscondit, sed statim cum eo lucifacere curavit, ac illum terræ mandavit, ut cresceret in arborem ac multos fructus produceret. Quod præclarum sit nobis documentum ut in donis, gratis ac muneribus nobis a Deo oblatis, non immoremur, sed absque ulla dilatione illa amplectamur, eisque ut maxime proficis acquiescamus, eorumque ductum sequamur, ne ob aliquam negligentiam et defectum nostrum, tam præclara dona a nobis transeant et abeant. Negligentia enim nos operum bonorum merita facit amittere, donorumque et gratiarum divinarum talenta sepelit. Singularem a nobis exigent considerationem illa Salvatoris verba, *Joan.*, xv, 2: *Omnen palmitem non ferentem fructum, tollit eum, et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus offerat.* Gracia porro cœlestis opem nobis præbet ut in vinea Domini fructificemus; si vero nos, propter desidiam nostræ gratiæ antecedenti

correspondere neglexerimus, privabimur subsequenti, quæ alias cum ferventi et accurata nostra cooperatione, augmentaretur, *ut fructum plus offerat.*

f. — Licet hic per regnum cœlorum merito intelligatur Ecclesia militans, seu prædicatio Evangelica, atamen non incongrue per regnum cœlorum anima justi significari potest, quæ vere est Paradisus, et locus deliciarum Dei, in qua Deus regnat, cujus regni amplitudo maxime, quam charitate mediante habet, considerari debet. S. Augustinus de humana mente, *de Spir. et anim.*, xxxiii, inquit: « Mens ejus Paradisus est: in qua quasi in Paradiso voluptatis delectatur. » Quod ipsum S. Petrus Damianus confirmat dicens: « Spiritualis est Paradisus mens sancta, atque ad sui conditoris imaginem signanter expressa, jure dicitur Paradisus, quæ et cœlestium Charismatum est fluentis irrigua, et tanquam fertilius arborum, vel herbarum, sic virentibus sanctorum virtutum, vernat germinebus adornata. » S. Bonaventura, in suis soliloquiis animam nostram centrum quiescentis Dei appellat: « O quam beata anima, apud quam Deus sibi requiem invenit, quæ dicere potest: *Qui creavit me requievit in tabernaculo meo.* Negare siquidem ei cœli requiem non poterit, qui sibi in hæc vita requiem præparavit. » Nequaquam tamen nobis ob hanc mirificam anime nostræ dignitatem nimium presumendum, quin potius sciendum, quod ut S. Augustinus, *Oper. cit.*, ii, ait: « Domus summi Patrisfamilias est anima, per unitatem morum. » Imo magis nos terret quod S. Thomas de Villanova, *Conc. de Dedic. Ecol.*, dicit: « Grandis honor sed grandis timor, ex hoc pensandum nobis est, cum quanto timore et sollicitudine cavere debet anima justi, ne forte in ea aliquid turpe, aut indecens inveniat quod oculos tantæ majestatis offendat. » *Si quis autem templum Dei violaverit, quod estis vos, disperdet illum Deus*, dicit Apostolus, *I Cor.*, iii, 17. Imo justi et probi in seipsis includunt et gestant regnum cœli in hac vita, per testimonium bonæ conscientie, quod iis est quasi jure convivium. Cardinalis Bellarminus, super illa verba Psalmi cxxii, 9: *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus, discurrrens*, scribit: « Et vere quid suavis fingi potest quæ animam præditum charitate, conscientia bona, corde puro, fide non ficta requiescere in sinu summi boni. » Audite Richardum Victorinum: « Hæc est hæreditas illa quæ fluit lacte et melle, quia securitas conscientie solet mentem humanam lætitia et exultatione replere. Lactis et mellis dulcedine nos reficit voluit, qui dixit: *Lætamine in Domino, et exultate justi.* O quale, quantumque gaudium bonum habere conscientie testimonium! » E contra mali gestant in se regnum inferni, quod in mera perturbatione, inquietudine, cruciatu male conscientie

consistit, quæ mala conscientia est judex contra se incorruptus, centrum diaboli, tormentum ipso inferno atrocius.

g. — Paulus Paladius per granum sinapis interpretatur fideles in Ecclesia seminatos, qui penitentis et laboribus attriti, in magnam arborem gloriæ cœlestis exerescent; quisquis enim Paradisum ingredi desiderat, per ærumnas et tribulationes attritus, quasi penetrare debet. Dicit enim S. Bernardinus, *Serm. v in D. I post Epiph.*: « Nullus potest intrare in regnum, nisi transeat per flammam meum gladium atque versatiliem qui positus est ad custodiam ligni vite, sed hoc nullus potest facere nisi per patientiam in tribulationes. Gladius enim flammæus, atque versatilis tribulatio est, affligens animam et corpus. Et ideo dicit Apostolus, *Act.*, xiv, 21: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* »

h. — Hoc mysteriosum esse videtur, quod quando quidem multi sunt in regno cœlorum, id est, in Ecclesia fideles, cur non grana, sed granum dicantur? Ratio est quia omnes in unum coalescent per amorem et charitatis unionem; Christus enim eos summa cum sollicitudine commendavit dicens, *Joan.*, xvii, 21, 22: *Ut omnes sint, sicut tu Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut eredit mundus, quia tu me misisti. Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.*

i. — Sicut granum sinapis colore rubrum in virtute sua multum calorem continet, cibosque suos, sua acrimonia saporat, ut delectabiliter comedi valeant; nec incongrue, per has proprietates, juxta S. Augustinus, *Serm. xxxi de Sanct.*, ignem nobis denotet charitatis; sic quoque nullum opus bonum, sine charitate et amore Dei, sapidum esse potest. S. Paulus Apostolus, *I ad Corinthios*, xii, scribens protestatur quod tametsi linguis loqueretur Angelicis, vel dono prophetiæ, aut omnium sacrarum mysteriorum scientia imbutus esset; licet etiam viva quadam fide mediante, transferret montes, omnesque facultates suas in pauperes distribueret, aut prunis superpositus arderet, nec tamen divini amoris cœlestis flamma intra flagrarer, omnia prædicta quantumvis bona opera nil sibi profutura essent: *Nihil sum; nihil mihi prodest.* S. Anselmus ad Deum conversus dicebat: « Aufer, a me, Domine, si velis, substantiam, manus, pedes, oculos; solum relinque cor quo te diligam; hoc enim solo tibi placebo. » Idiota amore merito cunctis aliis operibus anteposuit dum ait: « Amorem animæ thesaurum nullas superat; nescit enim homo pretium ejus. »

Lapis Lydius auri probitatem explorat, ad vero pretiosus hic lapis charitatis, in aurum purissimum convertit omne ad quod ipsa accesserit. Unde S. Bernardinus Senensis ait: « Nec solum aurum est



« amor, sed quod mirabilis est aurea reddit qua-  
« cumque contingit. » Et paulo ante dixerat : « O  
« quam pretiosus est amor qui in conspectu Dei  
« omnia pretiosa facit! Ideo aurum denominatur;  
« aurum enim omnium thesaurorum pretium est. »

**J.** — Est quidem granum sinapis, adhuc inte-  
gram, vile et abjectum; dum autem attritum est,  
per illud quodam sapore conduntur, quæ alias  
videbantur insipida, et gustui difficilia. Sic per  
penitentis vite rigorem et austeritatem attriti, et  
humilitati, ineffabiles et sapidissimas experientur  
spiritus dulcedines, licet diversum oculis videantur  
externis. S. Bernardus, *Serm. 1 de Dedic.*, aiebat :  
« Hinc est quod multi abominantur, et fugiunt  
« penitentiam; crucem quidem videntes, sed non  
« etiam unctionem. » Moxque ad suos conversus  
religiosus, abstinentis macilentos, vigiliis extenua-  
tos, austeritatis rigore pallidos, sequentibus eos  
extimulabat verbis : « Vos qui experti estis, ecce  
« scitis, quia vere crux nostra inuncta est, et per  
« gratiam spiritus adiuvantis, suavis et delectabilis  
« est penitentia nostra; et ut ita dicam, amaritudo  
« nostra dulcissima. »

**K.** — Granum sinapis quo magis premitur, eo  
magis virtus ejus accenditur. Sic quidem premitur  
et tribulamur. Sed per passiones et tormenta virtus  
spem magis accenditur, dum illa viam ad cælum  
complanant et faciem efficiunt. Sanctus non querit  
requiem sed tribulationem; novit enim quoniam,  
dicente Apostolo, *Rom.*, v, 3 : Tribulatio patientiam  
operatur, patientia autem probationem, probatio  
vero spem; spes autem non confundit. « Et ideo  
« protestor, » inquit S. Hieronymus, « quod in hac  
« vita nequaquam quaeram requiem, sed afflictiones  
« et angustias! Ut tanto sim de gaudiis alterius  
« vite securior. Propterea nunc amaritudinem sus-  
« tineo, ut postea dulciora promerear. »

**L.** — Optime per granum sinapis, quamvis sit  
parvum, significatur doctrina fidei ad Ecclesiam  
sanctæ, ad indicandum ejus efficaciam, fructum ac  
propaginem. Prædicatio enim Evangelica e tenui  
cum Christo coepit, ac per paucos Apostolos, humi-  
les, pauperes, ignobiles, in totum mundum dilatata  
est; quæ res vera vere Ecclesie est nota. Etenim  
secundum Psalmistam, *Ps.* xviii, 3, prophetiam, in  
omnem terram exiit sonus eorum et in fines orbis  
terre verba eorum. S. Chrysostomus, *Hom.* xxvii in  
*Genes.*, sic loquitur : « Etenim sicut per tres illos, »  
scilicet filios Noe, « hominum genus multiplicavit  
« universi conditor; ita quoque et in fide per unde-  
« cim piscatores illitteratos et idiotas, qui neque  
« os aperire audebant, omnem sibi orbem concii-  
« liavit. » Unde idem sanctissimus Doctor in hac  
Evangelii per totum mundum promulgatione, poten-  
tentem Altissimi manum agnoscebat dicens, *Hom.*  
xxvi in *Matth.* : « Quæ res maximum argumentum  
« omnipotentiae Christi est; viginti enim annis, aut

« ad summum triginta, ad omnes oras orbis Evan-  
« gelium transcurrit. » Et S. Augustinus, *lib.* xxi,  
*contra Faust.* : « Quis tantam multitudinem ad pec-  
« cata pronam, ad legem contrariam carni et san-  
« guini servandam induceret, nisi solus Deus? »

**M.** — « Granum sinapis, » ait S. Augustinus,  
*Serm.* xxi de *Sonet.*, « magnum est non specie, sed  
« virtute. Prima fronte speciei suæ parvum est,  
« vile, despectum, non saporem prestans, non odo-  
« rem circumferens, non indicans suavitatem. At  
« ubi teri coeperit, statim odorem suum fundit, et  
« acrimoniam exhibet. » In quo sensu per granum  
sinapis non immerito significatur Dominus noster  
Jesus Christus, qui priusquam humiliaretur et in  
passione sua contereretur in majestate sua non  
agnoscebatur, neque adorabatur. Dicit Apostolus,  
*Philip.*, ii, 9 : *Humiliavit semetipsum, factus obediens  
usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod  
et Deus exaltavit illum.* Unde S. Bernardus ait :  
Christus cum per naturam divinitatis non haberet,  
quæ cresceret, vel ascenderet, per descensum quo-  
modo cresceret invenit : *Humiliavit semetipsum,* etc.  
S. Hilarius eadem verba S. Pauli ponderans, inquit :  
« Humilitatis fuit præmium, ut corpus assumptum  
« in gloria Dei Patris maneret ut in nomine ejus  
« gena caelestia, terrestria et inferna se curva-  
« rent. » S. Ambrosius eandem habet considera-  
tionem, quod supremæ illi majestati, non ideo  
gena incurventur quod nobilem adeo, vastamque  
hanc creasset mundi machinam, sed quia se super  
Calvario monte humiliasset : « Quanta fecit Domi-  
« nus, audeo dicere, » inquit ille, in *Psal.* cxviii,  
*Oct.* xiv, « et non flexi ei genu; sed flexi ei, postquam  
« se humiliavit; sic enim per humilitatem, sibi  
« Ecclesiam congregavit. »

**N.** — Sinapis suam virtutem non ostendit nisi  
postquam conteritur; imo ut ait Glossa, « quanto  
« plus teritur, tanto plus redolet. » Sicque Ecclesia  
catholica, quo majores adversitates ac oppugna-  
tiones contra eam exoriebantur, eo magis suam  
vim ac veritatem declarabat. « Non minuitur per-  
« secutionibus Ecclesia, sed augetur, » dicit S. Leo  
Magnus, *Serm.* 1 de *Natali SS. Ap. Petri et Pauli,*  
« et semper Dominicus ager segete ditior vestitur,  
« dum grana quæ singula cadunt, multiplicata  
« nascuntur; unde duo illa præclara divini seminis  
« germina, in quantum sobolem germinarint, bea-  
« torum millia Martyrum protestantur. » D. Chry-  
sostomus, *Hom.* xl de *SS. Juv. et Max.*, ita scribit :  
« Etenim vero sicut plantæ rigatæ magis crescunt,  
« ita et fides nostra oppugnata magis floret, neque  
« horti aquis irrigati illa germinant, et secundi  
« sunt ut Ecclesie, si Martyrum irrigentur san-  
« guine. » S. Ambrosius, parabolam hujus dici  
exponens, dicit : « Granum sinapis martyres nostri  
« sunt, Felix, Nabor et Victor, Gervasius et Protas-  
« sins, et Nazarius. Habebant odorem fidei, sed

« latebant. Venit persecutio, contriti gladio per  
« totius terminos mundi gratiam sui sparsere mar-  
« tyrii, ut iure dicatur : *In omnem terram exiit  
« sonus eorum.* »

**O.** — « Granum sinapis, » ait D. Paschasius,  
*lib.* vii in *Matth.*, « Christus Dominus erat. Ita  
« teratur in corde ut ora nostra gustu ferventia,  
« vivido fructus sui sapore succendant, in tantum  
« etiam ut ab oculis lacrymæ præ nimio ardore  
« decurrant. » Granum sinapis affectum in ore, si  
dentibus atteritur, præ nimia sua activitate totum  
os calefacit. Christus Dominus digno et reverenter  
sub speciebus panis et vini sumptus, est nobis in  
ore, velut sinapis. Totum hominem accendit, ac  
calidum reddit erga caelestia. Quem effectum cogno-  
visse videtur ille, qui de Eucharistia, *Deut.*, xxxii,  
11, disserens in spiritu, dicebat : *Sicut aquila pro-  
vocans ad volandum pullos suos, et super eos volitans.*  
Qui enim ab aquila ad volandum provocantur, nisi  
animæ fideles, Christum in Eucharistia recipientes,  
quæ tanquam aquila caelestia nobis imprimi desi-  
deria et affectus? Quem nobis conceptum his verbis  
expressum relinquit D. Chrysostomus, dum, *Hom.*  
xxiv in *I ad Cor.*, inquit : « Inde effecti aquilæ ad  
« cælum evolumus, ubi enim cadaver, illic et  
« aquilæ. Cadaver corpus suum vocitans propter  
« mortem; aquilæ vocat, ostendens, quod oportet  
« eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem,  
« et cum terra nihil habere commune, neque deor-  
« sum trahi et serpere, sed assidue sursum volare. »

## VERSUS 32.

*Quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum  
autem creverit, majus est omnibus olivibus, et fit  
arbor, ita ut volucres cæli veniant, et habitent in  
ramis ejus.*

**1.** — Jansenius advertit quod semen istud non  
dicatur minimum comparative ad omne aliud,  
quoad quantitatem, sed quoad proportionem, quia  
per respectum ad arborem, quam producit, est  
minus omnibus : « Minus est omnibus aliis, si id,  
« quod ex eo producitur, conferatur cum his, quæ  
« ex aliis producuntur. »

**2.** — Si per sinapi Christus intelligatur, « mini-  
« mum quidem est omnibus, siquidem ipsemet de  
« se dixit : *Ego autem sum vermis et non homo.*  
« *Etenim vivit semetipsum formam servi accipiens.* »  
Albertus Magnus, *ibid.*, ait : « Ita minoritas signi-  
« ficat humilitatem, quæ est in cruce Salvatoris. »  
Salmeron ad eandem humilitatem alludens scribit :  
« Dicitur etiam minimum verbum Dei, ratione  
« eorum, quæ tradit de Christo consputo, flagellato,  
« et morti crucis addito, quæ humane rationi  
« scandalum et stultitia videntur. »

**3.** — S. Thomas, in *Cat.*, de prædicatione Evan-  
gelii interpretatur, quæ in cortice et apparentia

externa omnibus aliis scientiis, et philosophorum,  
antiquorumque oratorum doctrinis inferior esse  
videtur. « Ad primam quidem doctrinam, fidem  
« non habet veritatis, hominem Deum, Deum  
« mortuum, et scandalum crucis prædicans. »  
Cajetanus, *ibid.*, ait : « Nihil minus, nihil abjectius  
« hoc dogmate est, sed idem maxime virtutis in  
« vegetatione Ecclesie velut arbor inter olera  
« apparet. » S. Hieronymus, *ibid.*, ante ipsum  
scripsit et subiungit : « Confer hujusmodi doctri-  
« nam dogmatibus philosophorum et libris eorum,  
« et splendori eloquentiæ, et comparationi sermo-  
« num, et videbis quanto minor fit cæteris semi-  
« bus sementis Evangelii. » Eodem quoque modo  
S. Anselmus, *ibid.*, scribit : « Quid enim stultius  
« sapientibus hujus mundi aestimabatur, quam in  
« occisum et sepultum credere, visibilia contem-  
« nere et invisibilibus inhiare. »

**4.** — Chrysostomus quidem etiam per granum  
sinapis prædicationem evangelicam intelligit, ex  
alio tamen respectu granum illud minimum fuisse  
interpretatur. « Quia discipuli universis erant im-  
« becilliores. » Quem sensum Chrysostomi Salme-  
ron, *ibid.*, hisce verbis declarat : « Minimum  
« existet, si ad eos, qui illud prædicant, id est,  
« piscatores, sutores et telonarios, oculos conji-  
« ciam, nihil habet splendoris et eloquentiæ hu-  
« mane, unde et simplici sermone, ac ex media  
« plebe deprompto. »

**5.** — Paulus de Palatio, in *Matth.*, semen hoc  
minimum denominari posse existimat, quia in iis,  
qui illud velut terra bona receperunt, humilitatem  
profundam, suique ipsius contemptum inserit :  
« Quia profundam humilitatem amplectuntur, et  
« hæc est virtus hujus sinapis, honores fugere,  
« humilitatem amare. » Quod idem monitum cœ-  
lestis ille agricola sæpe numero inculcare solebat,  
dicens : *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis  
in regnum cælorum.*

*Cum autem creverit, majus est omnibus olivibus,  
et fit arbor.*

**6.** — Didacus Stella, in *cap.* xiii *Luc.*, in hoc  
grano considerat, quod cum vile et contemptibile  
sit, sublus terram tamen conjunctum adeo exerceat  
ut in ramos varios sese extendat, in quibus volu-  
eres cæli habitare possunt; unde sequens elicit  
morale documentum : « Admonet loquens iste, ne  
« contemnamus parvulos et pauperes, quos vide-  
« mus quamvis nobis ignoti sint, et in oculis  
« mundi parvi videntur; granum sinapis parvum  
« est, tamen crescit in arborem magnam, et qui  
« modo humiles sunt forsitan sunt a Deo prædesti-  
« nati ad magnum glorie culmen. » David despici-  
« bilis inter omnes fratres suos erat, et tamen Deo  
complacuit, ipsum a pecorum custodia subreptum,  
in tantum tanque gloriosum Israelis regem eve-



here. Quis Moyses alienus aestimasset, quando in Madian ovium pastorem agebat? Quis Josephum respexisset in caverna latitantem, in domo Patipharis servum, ac demum inter carceris compedes et vincula arete captivum?

7. — Ecclesia Dei humilia et villa principia habuit, unde Apostolos illam suo tempore *omnium peripsemam* appellabat; sectatores illius derisionibus, persecutionibus et diris suppliciis infestabantur, doctrina Evangelica a multis philosophis, hæreticis, cunctisque aliis persecutoribus impugnabatur, et tamen quantum ejus honor et existimatio, etiam apud mundi magnates, excrevit, præcipue Constantini Magni tempore! Unde ab illo tempore summi Pontifices gloriose exaltati fuerunt, qui antea in cryptis et terræ cavernis reconditi latitabant.

8. — Quod si hæc sinapis similitudo prædicationi Evangelicæ applicetur, dici potest *major omnibus olivibus*: « Quia, » ut S. Thomas, in *Matth.*, scribit: « Doctrina Evangelica magis fructificavit, » quam doctrina legis, » siquidem hæc non nisi in Judæa in populo Hebræorum fructum fecit; unde et David dicit: *Non fecit taliter omni nationi*. Nullus unquam inventiri potuisset philosophus, qui ad ejus doctrinam totam suam patriam attrahere potuisset, inquit sanctus Doctor: nam si Plato, qui tantam nobis apud omnes fidem compararat, divinum aliquid numen in hunc mundum visibiliter aliquando venturum esse affirmasset, quis ei crediturus fuisset? Unde concludit progressum et profectum predicationis et doctrinæ Ecclesie, incompatibiliter doctrina legis majorem fuisse *in soliditate, in generalitate, in utilitate*. Porro aliæ doctrinæ a rationibus et argumentis dependent; at vero hæc ab æterna et divina revelatione. Lucas Brugensis, *ibid.*, de hoc grano Evangelico scribit: « Inter » omnia genera doctrinarum, que sunt in mundo, » minimum est, minimum habet splendor et commendationis, sive a naturali ratione, sive ab hominum consuetudine, sive a magistrorum eloquentia, sive ab auctoritate, imo abhorret ab insitio hominibus judicio. » Hi qui hoc semen ab initio seminarunt, idiotæ fuerunt, nudi, remis dumtaxat tractandis assueti pauperes, hominum ludibrio expositi. Id quod predicabant, in eo consistebat, quod Deus inter duos latrones sit crucifixus, et alia dogmata rationi et sensui totaliter repugnantia; qualia sunt unitas essentialis in tribus divinis Personis, adeoque quod tres Personæ divinæ sint unus Deus; Incarnatio Verbi, sacramenta, et tot alii ineffabiles articuli, mysteriaque imperceptibilia, pauperes Evangelica, mundi, honorum, divitiarum, voluptatumque contemptus, jejuniarum et mortificationum continuus usus et abnegatio sui ipsius, et tamen non obstante doctrinæ illius difficultate, hæc doctrina Evangelica adeo progressa est, ut « in omnem terram exierit semina eorum; et

« tera omnia doctrinarum genera, quæ hactenus in » mundo vigerunt, celebritate, soliditate, firmitate, æternitateque superavit. »

*Et fit arbor, ita ut volucres cæli veniant et habitent in ramis ejus.*

9. — Dionysius Carthusianus, in *Matth.*, per aves, quæ in hisce ramis nidificaverunt, Principes, Reges et Imperatores intelligit: « Principes vel Magnates » hujus sæculi ad fidem conversi. » Lyranus per ramos hujus arboris, Sanctos intelligens, de iisdem scripsit: « Fuerunt pusilli in humilitate, sed magni » scientia et virtute, et ideo sic divinitus exaltati, » quod volucres, id est, Principes hujus mundi alta » petentes habitabant in ramis eorum, id est, regerantur per eorum consilium. »

10. — S. Augustinus, *Serm. xxxiii de Sanctis*, per ramos, sanctos Apostolos et Martyres intelligit: « Ramus est Petrus, ramus est Paulus, ramus est » B. Laurentius, rami sunt omnes Apostoli, vel » Martyres Salvatoris, ad quos si quis se fortiter » tenere voluerit, fluctibus sæculi minime mergitur; » quin potius sub umbra illorum latitans, » gehennæ non patietur ardorem. »

11. — Hugo Cardinalis varietatem dogmatum fidei nostræ intelligit: « Rami diversitates dogmatum. »

12. — Salmeron, *tom. VII, tract. viii*, per aves in ramis habitantes, Philosophos et omnes alios sapientes gentiles ad fidem conversos intelligit: « Homines magni et excelis ingenis præditi, ut » Philosophi multi et Oratores, qui ad fidem conversi sunt, qui sub umbra doctrinæ Apostolicæ » requiem captarunt et solatium. » Tales fuisse dicit, Clementes Alexandrinum et Romanum, Dionysium Areopagitam, S. Augustinum, S. Cyprianum et alios similes. Per ramos autem intelligendos esse censet religionis catholicæ articulos. « In articulis fidei volucres cæli nidificaverunt; nam in » Trinitatis mysterio et cæteris incarnationis, predicationis, mortis, resurrectionis et ascensionis » sacramentis, magna et eruditissima ingenia, tanquam in umbra consolationem otiumque captarunt. »

13. — Per has quoque cæli volucres Dionysius Carthusianus animas contemplativas intelligendas esse dicit: « Volucres cæli, id est, animæ contem- » platives. » Cajetanus ait: « Homines » celestis desiderii, celestis mentis, in iis que sunt » Ecclesie. » S. Anselmus, per hosce ramos, fidei nostræ dogmata accipit: « In quibus habitant volucres cæli, id est, animæ fidelium delectantur et » pascuntur, quæ pennis virtutum ad celestia » volant. Unde dictum est: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam?* »

14. — S. Bonaventura, in *Lucam*, similiter per hæc volatilia homines spirituales intelligit: « Per

« volucres cæli intelliguntur viri spirituales, per » ramos arboris intelliguntur documenta virtutis, » procedentia ex ore sapientis. »

#### Additiones.

a. — *Quod minimum quidem est, etc.* Non sine gravi mysterii pondere granum sinapis, cui regnum cælorum comparatur, *minimum* dicitur: et ratio palchra est, quia regnum cælorum non comparatur altissimis et invisibilibus rebus, sed valde parvulis et minutis, utpote grano sinapis, ut nullus a conatu ipsius regni adipiscendi se excuset, cum illius via cunctis sit patens, omnibus facilis, suavis et perquam. « Regnum Dei intra vos est, » inquit S. Cyrillus, « in vestris affectibus, et in potestate vestra » est id capere; est enim quilibet homo justificatus » per fidem Christi, et virtutibus ornatus regnum » potest obtinere cælorum. » Terrenorum regnorum acquisitio ardua est, et difficilis, imo nonnunquam impossibilis; at vero regnum cælorum ab unoquoque comparari potest; sinit enim se facile vinci, imo ultra citroque se offert unicuique nostrum. *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*, dicit Dominus, *Matth.*, xi, 12. O quanto facilis cæli quam gloria acquiritur? Hæc etenim a voluntate nostra non dependet, imo nec a meritis nostris aliquando, sed potius a fortuna, ab alterius dispositione. Ambitio, industria et labor ad illud acquirendum non semper juvat; non vero sic se res habet, quod attinet ad æternæ gloriæ consecutionem. S. Valerianus, *Hom. ii de orca et angusta via*, dicit: « Facile se volentibus præstat. » Sed quando? « Si non aut vanitas impediatur, aut fallax » hujus mundi ornatus obsistat. » Superbi quidem mundi gloriam studiose sectantur, sed sæpe, imo ut plurimum, eandem non assequuntur. Coelestem vero gloriam sectantur humiles, nec unquam irriti effecto. Longe autem facilis est humilem velle esse, et ab aliis contemni, quam ab aliis in veneratione, et reverentia haberi, quia illud in nostra positum est voluntate, hoc in aliena.

b. — Accurate notandum, quod granum sinapis prius sit minimum omnibus seminibus, postmodum vero in maximum crescat arborem; videtur enim mihi subtilis quidam dolus ambitiosorum hominum detegi, qui se prius dejiciunt et minimi esse volunt, ut postea exalitentur. Priusquam enim diabolus ambitiosos in altum elevat, viles eosdem prius, et in terram prostratos videre desiderat, nec quicquam adeo vile est aut indignum, quod superbus aliquis non committat, ut ad prætense ac desideratæ dignitatis fastigium perveniat. Nam ut S. Ambrosius ait: « Ut dominetur aliis, prius servit; curvatur » obsequio ut honore donetur, et dum vult esse » sublimior fit demissior. » Credit promissionibus tentatoris: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.*

c. — Granum sinapis dicitur minimum omnibus sementibus, et tamen crescit in arborem quod major est omnibus olivibus. Magnatibus pulchrum hic præbatur documentum, ne in elationem effratur. Nam quamvis seipsos videant sublimatos ac dilatatos, tanquam sinapis arborem, secum tamen considerent, quod illud granum in aliud semen sinapis desinit, quod minus est omnibus sementibus. In sua altitudine comprimant cogitationes suas magnates, sciunt enim quod toto sue magnitudinis pondere ruere ac cadere possunt, ut minimi inveniantur. S. Thomas de Aquino, *lib. I, cap. I, de Regim. Princip.*, fragilis nature nostræ metallum optime considerat, videlicet quod nulla alia ex re constet, præterquam ex pulvere et cinere. Sine autem experientia perspicue satis demonstrat, cinerem, quanto magis in altum exponitur, tanto eumdem in ventum ludum et ludibrium amplius converti, et per aera quaquam versum dispergi. Quod si vero homo tanquam terra plasmatus consideratur, hæc quoque ratio eadem in alto collocatum esse, minime convenit: « Terra non congruit esse in » alto, quæ est infima elementorum: cineri etiam » expedit, ne in alto sit, ne dispergatur a vento. »

d. — Granum sinapis non subito, et de repente pertigit ad fastigium, sed gradatim processit; sic nec de repente fiet in honorum adptione, sed per præexercitata merita debet crescere. S. Basilius, in *capit. vi Isaiæ* scribens optimum nobis modum docet dignoscendi quisnam ille sit qui Principis et Prælati nomen et dignitatem maxime mereatur. Dicit enim: « Verus Princeps non per hæc externa » insignia internoscitur, cujusmodi sunt purpura, » torques seu amiculum pertenuæ ac molliculum, » et diadema, sed per id quia in primis virtutem » obtinet principis dignam. » Atque ideo si honores personis deferantur vitiosis, inhabilibus et indignis, honores illi talibus non dignitatem sed indignitatem conciliant, semper videbuntur. *Gloriam sapientes possidebant, inquit Sapiens, Prov., iii, 35, stultorum exaltatio, ignominia.* Stephanus Cantuariensis scribit: « Ad illa tria debet Prælatum preparare cor » suum, id est, ad scientiam, vitam et doctrinam. » Ut investigaret: ecce scientia. Ut faceret: ecce vita. Ut doceret: ecce doctrina. »

e. — Potest per granum sinapis humilitas intelligi; sicut enim granum sinapis parvum est, vile et abjectum, et tamen in altum et procerum exerescit arborem, ita quoque humilitas, etsi sit virtus, quæ omnia reddit minima, secundum naturam suam, propter meritum suum tamen velut arbor semper ad altiora exerescit, ita ut quo quis humilior, eo dignitatibus quoque sit aptior. « Bene imperant, » qui non libenter imperant, » inquit auctor quidam: « Id quod in multis Veteris Testamenti sacris » heroibus adimpletum fuisse perfecte ostenditur. » Moyses, Josue, Eldad, Medad, Saul, David fugient



et accipere detrectant dignitates ab ipso Deo illis oblatas, et pro viribus respuunt. De ipsomet Dei Filio, in Psalte regio, *Psal.* II, 6, hæc scripta legitur: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion: Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Unde colligitur Dei Filium eo usque præstolatum fuisse, donec ab æterno Patre suo ei, ut in thronum se collocaret, imponeretur præcipereturque. Id quod perfecte consentit cum eo quod Apostolus ad condemnandam ambitiosorum superbiam hæc verbis scribit, *Heb.* V, 4: *Nec quisquam sinit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu; ego hodie genui te. De Moysæ quoque ipsum ob impositos sibi invito honores, graviter lamentatum fuisse legitur: *Cur afflicisti servum tuum?***

**1.** — Granum sinapis significat Dominum. S. Gregorius, *lib. I Moral.*, XIX, dicit: « Granum namque « fuit cum moreretur, arbor cum resurgeret; granum per humilitatem carnis, arbor per patientiam majestatis. » Item granum sunt sancti et justi, ut ait S. Paulinus, *Epist.* VI: « Memento, » inquit, « granum sinapis de quo semine sumus. » Quanto enim magis Christus Dominus se in vita et passione sua humiliavit, tanto magis est a Deo Patre in resurrectione sua exaltatus. Sicque Sancti quoque magis se propter Dominum deiecerunt, eo magis ab ipso sunt sublimati. S. Jacobus Apostolus, ad humilitatis actus exercendos nos invitat, *Epist.* IV, 10, quia consequit Deus liberalissimus remuneratur nostram abundanter per exaltationem recompensabit exinanitionem: *Humiliamini in conspectu Domini, et exaltabit vos.* Circa quam materiam insigne quoddam advertendum est, quale nobis S. Bernardus, *Serm.* XXXIV in *Cant.*, in hæc verba tradit dogma: « Generalem hic audi regulam: *omnis qui se humiliat, ait, exaltabitur;* significat profecto « non omnem exaltandam esse humilitatem, sed « eam tantum, quæ de humilitate venit, non ex « tristitia, nec ex necessitate. » Aliqui enim humiles sunt utpote propter conditionis et vocationis suæ necessitatem, contempti, spretique ab omnibus, pauperes, humilibus nati casis. Hæc autem humilitas nec meritoria est nec virtuosa quia necessitatis est effectus, non libera et voluntaria, qualem exercet ille qui cum existimationem, et venerationem sibi conciliare potest, nihilominus ex virtutis instinctu se abjicere et exinanire studet. Atque hunc ego crediderim ego verborum S. Jacobi sensum esse, dum ait: *Humiliamini in conspectu Domini.* Quasi diceret: Humilias in conspectu Dei, ex motivo supernaturali, et propter amorem Dei exercenda est; hæcque ipsa exaltationem annexam habet, ut potest ex innumeris exemplis, tum ex Veteri Testamento, tum ex Novo, tum etiam ex vitis Sanctorum.

## VERSUS 33.

*Aliam parabolam locutus est eis: Simile est regnum celorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus; donec fermentatum est totum.*

**1.** — Christus Dominus noster qui se cœli ostium esse dixit, *Joan.*, I, 9: *Ego sum ostium; per me si quis introierit, salvetur,* in hoc Evangelio binis parabolis, regnum celorum binis diversis rebus assimilavit; videlicet primo grano sinapis, quod homo in agro seminat. Secundo mulieri, quæ fermentum pro pane coquendo preparat. Chrysologus autem illius nobis mysterium hæc verbis, *Serm.* XXIX, explicat: « Bonus Dominus amator suorum « Christus, regni sui similitudinem iterat, variat « comparationes, quas non de occulto sumit, non « captat de cœlestibus, sed profert de quotidiano « usu, de communi conversatione proponit, ut ad « omne genus hominum perveniat, quod est omnibus profuturum. » Hinc est, quod unum idemque regnum, nunc negotiatori assimilet querenti margaritas; nunc pastori gregem suam pascenti; mox homini nuptias instituenti; paulo post Regi convivium apparanti; denique rei ex omni genere piscium pleno, ut hinc intelligatur regnum istud omni statui, vocationi et conditioni hominum esse preparatum; ipsemet enim aperte ait: *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* *Joan.*, XII, 2.

**2.** — Idem Chrysologus sermone præcedenti, dum se ad illa verba, a S. Luca, XII, 18, priusquam hæc duas parabolas proponeret, relata reflecteret, nimirum: *Dicebat ergo: Cui simile est regnum Dei, et cui simile astimabo illud? Simile est grano sinapis, etc. Et iterum dixit: Cui simile astimabo regnum Dei? Simile est fermento, etc.* Postquam, inquam, ad illa præfatus S. Doctor se reflexit, exclamavit et merito: « Grano sinapis tota regni cœlestis comparata est magnitudo et quid est, quod potestatem « tantam sic parva sic minima, imo minimorum « minima similitudo concludit? » Considerat insuper, quod Jesus Christus, increata illa æterni Patris Sapientia, « solus verbum, scientiæ fons, dicendi « flumen, qui omnium corda rigat, sensus aperit, « ingenium dilatat, in inveniendâ similitudine « nunc laborat? » Siquidem eo ipso, quod dicit: *Cui simile est? Cui simile astimabo?* Quasi querentis indicat et producit affectum. Verum enimvero, vide queso, in quam tandem similitudinem hæc inquisitio terminet; nimirum in similitudines a quodam grano sinapis et a modica fermenti particula desumptas, idque in eam solum finem, ut nos edoceret, quanta cum facilitate unusquisque sibi regnum istud acquirere possit. Et quidem si forte id faciendâ viam et methodum ignoremus, Chrysostomus, in persona Christi, nos alloquitur, *Hom.* XVII ad *pop.*,

et dicit: « Pretium non appono, ne objicias inopi-  
« piam; quanti potes, tanti eme. Habes obolum?  
« Eme colum. Non habes obolum? Da calcem aquæ  
« frigida, da panem et accipe paradisum. »

**3.** — Didacus Stella bene observat, hanc parabolam in eundem cum prima finem collimare: « Tamen quia Christus cupiebat, ut omnes utilitatem caperent ex ejus doctrina et ab omnibus « intelligi volebat, similitudines duplicabat. » Ecce tibi optimum pro illis documentum, qui fidelibus verbum Dei ministrant, ut scilicet omnium auditorum suorum sese accommodent et condescendant capacitati, talia eisdem exempla et similitudines proponendo, quibus se ab omnibus, quantumvis idiotis et ignorantibus intelligi faciant. Porro similitudinem, quam ab agricultura desumit, inquit idem Stella, miles non intelligit; aliam, quam forte ab arte militari desumptam proponeret, subuleus non perciperet; ne igitur id, quod docere volebat, in parabola de grano sinapis, imperite quoque et inexperte mulieres intelligere non possent, aliam de fermento farinæ desumptam similitudinem, quam et ipsæ capere poterant, adducit in medium.

**4.** — S. Hieronymus ait, in *Matth.*: « Diversus « est hominum stomachus, alii amaris, alii dulcibus, alii austerioribus, alii lenibus delectantur « cibis; proponit itaque Dominus diversas parabolas, ut juxta vulnere varietates et medicina « diversa sit. »

**5.** — S. Ambrosius, *Serm.* V, ex eo quod Christus granum se fermenti appellat, hæc deducit consequentiam: « Ergo si triticum Dominus et Dominus « est fermentum, quia fermentum non nisi de tritico fieri solet; recte ergo fermento Dominus « comparatur, qui cum esset specie homo, humilitate parvus, imbecillitate dejectus, tanta intrinsecus sapientiæ virtute pollebat, ut doctrinam « ipsius mundus ipse vix caperet, qui, cum se cepit « per totum orbem divinitatis vigore diffundere, « statim omne hominum genus in substantiam « suam sui potestate protraxit, ut et oleum Spiritus « sui Sancti infunderet omnibus, hoc est, Christianos « cunctos faceret esse quod est Christus. » Fermentum toti massæ farinæ perfectionem adseiscit; Christus totam quoque humanam naturam perfecit; fermentum massæ affert calorem; et Christus pariter de se protestatur, *Luc.*, XII, 49: *Ignem veni mittere in terram;* fermentum ad suam temperamentum totam farinam reducit: Christus ad se universum mundum traxit, *Joan.*, XII, 32: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum;* illud saporem habet acetosum; mysticum hoc fermentum pariter in monte Calvarie aceto fuit potatum.

**6.** — Theophylactus scribit: « Aliqui per fermentum intelligunt prædicationem. » Dionysius Carthusianus dicit: « Fermentum est evangelice

« legis doctrina. » Et Enthymius ait: « Fermento « comparatur sermo fidei; » cujus hanc reddidit rationem, quia sicut parva particula fermenti sibi attrahit et unit universam massam farinæ, eamque in speciem distinctam ab ea, in qua antecederet erat, convertit: « Cumque farina sit mortua eam quoque « dammodo vivificat, ac vim habens activam, sursum ascendere facit, ita fidei sermo, cum « quantitate sit modicus, in multorum hominum « animabus occultus per doctrinam, omnes in « unum unit Ecclesiæ corpus, ac in alteram conversationis speciem transmutat, cumque mortui sint, « ad opera virtutis vivificat et sursum ascendere « facit ad cœlum. »

**7.** — Idem Theophylactus fermentum dicit Apostolos. Cajetanus notat, quod Christus collegium Apostolicum pasillum gregem appellat: *Pasillus grex;* et tamen idem totum mundum evangelicæ prædicatione fermentavit, ad eum modum, quo fermentum omnes massæ partes penetrat: « Sic « Christi discipuli, prima regni cœlorum membra, « spiritu penetrarunt corda hominum, crudaque ac « acerba ad maturitatem et saporem cœlestis vite « promoverunt. Sic fermentum cum parvum sit, » sunt verba Theophylacti, « totam farinam in se « transfert, sic et vos totum mundum transformabitis, elsi pauci sitis. » Id quod diu ante Chrysostomus docuerat, qui observationem quamdam admiratione dignam subiungit, *Hom.* XLVII, in *Matth.*, dicens: « Si duodecim homines totam pen- « sarinam orbis fermentarunt, diligenter animo « versa, queso, quanta sit nostra malignitas atque « ignavia; qui cum jam innumeri simus, hæc gen- « tium reliquias convertere non possumus, qui vel « mille mundis satisfacere deberemus. » Idem quoque per fermenti similitudinem verbum Dei denotari existimat, sicut enim hoc in maximo farinæ cumulo non perditur: « Imo in naturam suam « farinam transmutat, pariter in prædicatione hæc « Evangelii fiet; » siquidem verbum Dei hæc in se virtutem habet, ut ad se corda et mentes hominum effliciter convertat.

**8.** — S. Bonaventura, in *Luc.*, XIII, in fermento isto, fervorem spiritus intelligendum esse existimat: « Aliquando per fermentum intelligitur fermentum massæ affert calorem; et Christus pariter de se protestatur, *Luc.*, XII, 49: *Ignem veni mittere in terram;* fermentum ad suam temperamentum totam farinam reducit: Christus ad se universum mundum traxit, *Joan.*, XII, 32: *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum;* illud saporem habet acetosum; mysticum hoc fermentum pariter in monte Calvarie aceto fuit potatum.

**6.** — Theophylactus scribit: « Aliqui per fermentum intelligunt prædicationem. » Dionysius Carthusianus dicit: « Fermentum est evangelice « tur, quod pastam non impleverit et ideo nihil



« fermenti in aliqua parte panis invenitur; sic charitas spiritus suo replet et extrudit receptibilitatem aliorum, quia sicut dicit Bernardus: Non est quo se ingerat vanitas, ubi totum replevit charitas. » Item sicut massa panis non habet saporem, nec qualitatem panis sine fermento; eodem modo nulla virtus, nullum opus bonum habet meritum vite æternæ sine charitate et amore Dei: « Fermento levatur et allevatur pasta et panis, » inquit Albertus Magnus, et « sic facit charitas, quæ levat cor et elevat in cœlum. »

9. — Euthymius in hac parabola unionem et concordiam Ecclesie agnoscit, quia fermenti proprium est, totam sibi farinam unire: *Totam farinam in unum simul corpus unum.* Hæc unio, hæc fidei congregatio in Ecclesia conspicitur; omnes etenim fideles, unum caput et unum Pastorem agnoscunt, eandem profitentur legem, in fide eorundem dogmatum concordēs existunt, eodem Eucharistico pane aluntur, ab eisdem sacramentis vivificantur. Unde de Ecclesia dicimus in Symbolo, quod habeat: « Sanctorum communionem. »

10. — De hac autem muliere, cujus in parabola fuit mentio, S. Ambrosius in sensu allegorico, *Serm. v.* ita scribit: « Mulier, quæ dicitur abscondere in farina fermentum, quæ est, nisi sancta Ecclesia, quæ quotidie doctrinam Christi in cordibus nostris conatur abscondere? » S. Hieronymus, in *Matth.* dicit: « Vel prædicatio mihi videtur Apostolica, vel Ecclesia; » quoniam vero modo mulier hæc fermentum istud trahet, ita demum declarat: « Hæc tollit fermentum, notitiam scilicet et intelligentiam Scripturarum et abscondit illud in farinæ satis tribus, ut spiritus, anima et corpus in unum redacta, non discrepent inter se. » Cajetanus quidem etiam per hanc mulierem Ecclesiam intelligit, sed in diverso sensu: « Infirmus sexus, impotentiam secularem notat Ecclesie primitivæ. » Dionysius Carthusianus præter Ecclesiam, diligentiam quoque prædicatorum Evangelicorum per hanc mulierem intelligendam esse existimat: « Prædicatorum diligentia. »

11. — S. Anselmus, *ibid.*, dicit: « Mulier est sapientia Dei, quæ abscondit in nobis fermentum id est, fervorem charitatis, gratiam suam in nobis reponit, quæ corda nostra fermentantur, id est, ad amorem Dei accenduntur. » Hugo Cardinalis ait: « Mulier, id est, divina sapientia, vel gratia. »

12. — Chrysologus autem, *Serm. xcix.* verisimile esse existimat, omnes auditores, quando increantam illam Sapientiam, ut habetur Luca, *cap. xii.* audire interrogantem: *Cui simile æstimabo regnum Dei?* suspensos stetit. « Sic dicendo apponit animos auditorum et attonitos reddidit stupore lotos, quid regno Dei, quid imperio divino valeat comparari? » Sed ecce quoniam demum

hæc similitudo regni cœlorum terminetur: « Atque illis mente per multa et magna pervagantibus, cœli Dominus in hospitio pauperis, in manu panis coactura mulieris, regi sui invenit et format exemplum. » In Evangelio S. Lucae, *xxi, 2.* Salvatore noster illos, qui oblationes suas in gazophylacium reponabant, observasse scribitur: *Vidit autem et quendam viduam pauperulam, mittentem æra minuta duo et dixit: Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quam omnes misit.* Sæpe contingit, quod major devotio, major charitas, compassio, majorque in virtute soliditas invenitur in paupercula aliqua muliere, coram mundi oculis abjecta et contempta, quam in aliis personis secundum apparentiam exteriorem, magnam exemplaritatem et perfectionem præferentibus.

13. — Idem Chrysologus aliam insuper observationem affert: « Vir in agro, sinapis arborem fecit, domi mulier fermentum procurat et panes præparat, quia virum foris expectat labor, in mulierem domestica cura constringit. » Deus etenim unumquemque secundum proprium statum et vocationem vult operari. Unde Propheta regis, *Psal. xxiv, 12.* scribit: *Quis est homo qui timet Dominum? Legem statuit ei viam quam elegit; anima ejus in bonis demorabitur.*

#### Abcondit in farinæ satis tribus.

14. — Cajetanus verbum *abscondit* considerans, scribit: « Vilitas, paupertas, abjectusque status discipulorum Christi abscondebat celeste in illis regnum. » Quis secundum oculorum obtutum res arbitrari volens, unquam credidisset, quod regnum hoc in illis adeo pauperibus nudisque piscatoribus absconditum lateret? *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum;* in ipsis quoque Ecclesie regnum fundatum fuit: *Ecclesiarum Principes.*

15. — Ad hæc dicere possumus, hoc fidei et religionis christianæ fermentum multo tempore fuisse in cryptis et catacumbis, ob timorem persecutionum absconditum, quamvis ex iisdem vel maximis protulerit fructus, maximeque fuerit dilatatum.

16. — Glossa hæc farinæ mensuras hoc modo explicat: « Satum est genus mensurae juxta morem « Palestinorum, modium et dimidium capiens; » cujus mensuræ sensus mystici vari assignantur.

17. — Circa farinam S. Bonaventura dicit: « Farina sunt fideles, qui teruntur inter duas molas, superiorem scilicet et inferiorem, timorem videlicet et spem. »

18. — Glossa per hanc mulierem Ecclesiam intelligens scribit: « Fidem hominum in farinæ tribus satis mittel, credulitati Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cumque in unum fuerit fermentatum, non nos ad triplicem Deum, sed unius deitatis notitiam perducit. »

19. — S. Bonaventura considerans, quod per hoc fermentum, quod magnum in se calorem continet, charitas symbolizatur, ita scribit: « Tandem charitas in mente abscondita crescere debet, donec mentem totam in sui perfectionem commutet, ut nihil præter Deum diligat. » Tandem vero idem Seraphicus Doctor ad trium illarum mensuram mysterium declarandum descendens ait: « Per tria sata intelliguntur tres modi diligendi Deum, scilicet ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente. » Quam eandem explicandi rationem sequuntur S. Anselmus et S. Augustinus, de *quest. Evangelicis, lib. I, quæst. xii.*

20. — Albertus Magnus ait: « Tria sata sunt tres status hominum, » quos in Noe, Daniele et Jacobo exemplificat, « hoc est, Prælati, contemplativi et penitentes. » Cui prorsus similem observationem S. Bonaventura adducit, dum ait: « Tria sata sunt tres differentie fidelium, in quibus Dei sapientia dilectionem abscondit in via, scilicet « boni Prælati, boni contemplativi et boni activi. » Glossa per tres hæc mensuras fructum notat trigessimum, sexagesimum et centesimum, id est, conjugatorum, continentium et virginum.

21. — S. Paschasius, *lib. V in Matth.*, dicit: « Quidam referunt has tres mensuras ad spiritum, et animam, et corpus pertinere debere, ita ut hæc tria in unum redacta, per predicationem verbi non discrepent inter se, sed totus et integer homo fiat nova conspersio in Christo. » S. Hieronymus, sub expositionem quamdam attulit, parum Paschasiane dissimile, demum Platonis aliorumque philosophorum dogma fuisse asserit, tres in anima nostra reperiri appetitus, scilicet rationalem, irascibilem, et concupiscibilem; et quidem Plato existimat, quod rationalis in cerebro, ira in felle, et concupiscibilis in hepate consistat et resideat; subjungit igitur S. Hieronymus: « Et nos si acceperimus fermentum Evangelicum sacrarum Scripturarum, tres humanæ animæ passiones in unum redigentur, ut in ratione possideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in desiderio cupiditatem virtutum, et hoc totum fiet per doctrinam Evangelicam, quam nobis Mater Ecclesia præstitit. »

#### Donec fermentatum est totum.

22. — Lucas Brugenensis hæc verbis hanc adhibet declarationem: sicut in modica massa fermenti efficacia quædam reperitur, magnam in se farinæ quantitatem alterandi et convertendi, et semetipsum in eam insinuandi, eamque in suam transmutandi substantiam: « Ita humile Evangelium meum unum versus terrarum orbem, cui prædicabitur, alterabit, et in suam trahet naturam. » Id quod verum fuisse visum est, quando Apostoli, qui pauci numero erant, parum, vel nihil a mundo cognosce-

bantur, totum nihilominus mundum ad legem Evangelicam converterunt. Cajetanus notat hisce verbis virtutem et efficaciam exprimi Apostolorum: « Fermentato toto apparat clara virtus fermenti in toto, et converso mundo ad fidem Christi apparet clara virtus discipulorum Christi in salute mundi. »

23. — Paulus de Palatio, *ibid.*, ait: « Donec fermentatum est totum, significat tamdiu duraturam Evangelicam prædicationem, quamdiu per universum orbem Evangelium prædicatur. »

#### Additiones.

a. — *Simile est regnum cœlorum fermento, etc.* Quemnam in finem rebus adeo vilibus et exiguis, grano sinapis scilicet et fermento, regnum cœlorum Christus Dominus noster assimilat? Non in alium finem nisi ut nos doceret, quanta cum facilitate unusquisque regnum illud sibi acquirere possit. Misericordiæ opera et hæc cuius facillima Paradisi fores aperiant. Legitur, *Isa., lviii, 8:* *Frangite esurienti panem tuum, et egenos vagosque indue in domum tuam; cum videris nudum operi eum. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum et gloria Domini colliget te.* Et quia animabus electis ex hac vita decentibus imprecari requiem solemus, dicendo: *Requiem æternam, etc. Requiescat in pace;* ideo Propheta, postquam prædicatorum operum contexitisset catalogum, hanc præter alias promissionem subjunxit: *Requiem tibi dabit Dominus semper, et implebit splendoribus amicum tuum;* scilicet « in cœlesti ac æterna beatitudine, » ut exponit Haymo; « nec non claritate æterna de visu divinitatis suæ replebit corpus tuum, ne inferni tradatur incendio. » In Ezechiele quoque, *xviii, 7.* opera recensentur varia per quæ vita immortalis et beata acquiritur, inter quæ etiam hæc connumerantur: *Qui panem suum esurienti dederit, et nudum operuerit vestimento, ad usuram non comoderit, et amplius non acceperit, vita vivet, ait Dominus omnipotens.* D. Chrysostomus de Epulone disserens, qui oculos elevans, solum Abraham conspexit, in hæc verba interrogat: « Quare nullum alium justum videt, non Noe, non Jacob, non Isaac, sed « Abraham? Quid ita? Quoniam hospitalis erat, et « in suum tabernaculum viatores protrahebat. » Et ideo ad ipsum pertinebat sinu suo ipso quoque Electos recipere, de quibus dicitur: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur.*

b. — S. Ambrosius, *Serm. xxi.* de Christo Domino hunc locum explanat, Christum verum generis humani asserendo esse fermentum. Nam quia fermentum comminuitur et dispergitur, per totam farinæ massam, ut fermentetur, sic « Christus a diversis passionibus contractus, laceratus et dissolutus est, et succus ejus pro salute nostra, qui « est pretiosus sanguis, effusus est, ut admixione



« sui, omne genus humanum solidaret, quod per « diversa antea resolutum jacebat. » In eundem sensum scribit S. Hilarius, S. Cyrillus, *lib. IV in Joan.*, xvii. Christus Dominus sua doctrina totum mundum fermentavit; et dum laecerat, et transfigitur suo sacratissimo sanguine, totum mundum redintegavit, et ad se traxit ac solidavit; nec non contra daemionem ejusque assecias, potentes nos effecti.

**e.** — S. Gregorius Nyssenus, *Orat. Catech.*, hanc parabolam explanat de Christo Domino in Eucharistia. « Quemadmodum enim, » ait, « parum fermenti totam massam sibi similem reddit, sic « corpus illud vivificum in corpus nostrum ingreditur, diens, totum in se transfert. » S. Joannes, postquam protulisset, cap. vi, 27, hæc verba: *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo*, immediate post subiunxit: *Sicut me misit vivens Pater, et ego vivo propter Patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me*. Al vero quam obsecro est relatio inter duas istas propositiones, nimirum de unione, vel identitate carnis Christi cum communicante, et de vita quam Christus ab æterno Patre suo recipit? Nimirum, ni fallor per utramque propositionem Christus vult dicere, quod sicut divinitatem a Patre suo recipiens, eadem vita vivit qua Pater, ita qui nutritur sacratissimo ejus corpore, eadem vita cum Christo fruatur. Hec enim S. Hilarius innuit dum ait: « Vivit Verbum per Patrem, et quomodo per « Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus « vivimus. » Hunc admirandum effectum, et indissolubilem unionem, et identitatem experiebatur in semetipso S. Paulus Apostolus, unde dicebat, *Gal.*, ii, 20: *Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus*. S. Cyrillus Alexandrinus sequentem adducit similitudinem: « Sicuti si quis liquefactæ ceræ « aliam ceram infuderit, alteram cum altera per « totum commisceat necesse est, sic qui carnem et « sanguinem Domini recipit, eum ipso ita conjungitur, ut Christus in ipso, et ipse in Christo inveniat. » Quibus hodiernam parabolam subnectit, de fermento a Christo adductam in comparatione colorum tandemque subiungit: « Sicut parum, ut « Paulus ait, fermenti totam massam fermentat, sic « parvula benedictio, totum hominem in seipsam « attrahit, et hoc modo in nobis Christus manet, et « nos in Christo. »

**d.** — Per regnum colorum Ecclesia intelligitur, et Prælati per fermentum. Jam sicuti ut fermentum massam fermentat liquefieri debet, et in massa imbibit, ita et Prælati, ut subditis subveniant, per amorem, quasi in ipsos subditos converti, et sese tolos eviscerari debent. Verum enimvero, ut optime advertit S. Bernardus, minimum de animarum salute cogitant, sed sola habetur reddituum, divitiarum, dignitatis et honoris ratio: « Quem dabis

« mihi de numero Præpositorum, qui non plus « invigilet subditorum marsupii evacuandis, quam « vitis extirpandis. »

**e.** — Albertus Magnus fermentum charitatem interpretatur. « Omnes fermenti effectus prestat « charitas, » dicit Albertus. « Hec enim maturat « hominis cor crudum, ut sit affectuosum, et ad « spiritualitatem convertit; levat et allevat cor ad « celestia, et præparat nos, ut facile Christo incoeremur. » *Qui manet in charitate, in Deo manet*, inquit S. Joannes, I, iv, 16. Porro paulo ante in eodem capite dixerat: *Charitas ex Deo est, et omnis qui diligit ex Deo natus est*. Quibus ex verbis clare deducitur, quod dilectio nos filiationis divine faciat esse participes. S. Dionysius Areopagita, qui sublimissimo intellectu abditissima celestium Hierarchiarum mysteria penetravit, ita scribit: « Amor « amantem convertit in amatum, et amans amando « quodammodo exit a se, ita ut anima magis amantis sit ubi amat, quam ubi animat. » Axioma quoddam est S. Augustini, *tract. I in Epist. Joan.*: « Talis quisque est qualis est dilectio ejus. Terram « diligis? Terra es. Deum diligis? Quid dicam? « Deus eris. » Et quidem ne fortassis quispiam hanc quandam excessivam in loquendo exaggerationem fuisse arbitraretur, idem S. Doctor protinus subiungit: « Non audeo dicere ex me; Scripturas autem « diamus: *Ego dixi Dii estis*. Si ergo vultis esse « Dii, nolite diligere mundum. » Enimvero Deus noster, per amorem quo erga hominem fertur, factus est homo. Potest igitur et homo, per amorem, quasi Deus quidam fieri.

**f.** — Fermentum quod est charitas omnem amaritudinem mutat in dulcedinem, ut hæc celesti farina non sit amplius quidquam amaritudinis in olla. Amor enim Dei, qui vere charitas est, tribulationes patitur et non sentit. Jacob paterna domus quieti, deliciis et commoditatibus assueverat; et tamen primo die quo in Mesopotamiam peregrinaturus, domo paterna egressus fuit, ut sacer textus ait, super nude terre pavimento, nullo alio cervicali, quam saxo durissimo usus, obdormivit, nec tamen quidquam doluit. Scitisne tolerantia hujus causam? Nimirum iter illud ad se cum Rachele despensandum aggressus fuerat. *Omnia in figura continebantur*. O quantum pro comparando hoc sponsalio laboravit, sudavit! *Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis, et videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine*. *Genes.*, xxix, 20. Etenim, ut Chrysologus, *Serm. xl*, ait: « Amor impetrabilis est lorica, respuit jacula, gladios excutit, periculis insultat, mortem ridet; si amor est vincit omnia. » S. Bernardus, *Serm. xxxv in Cant.*, ait: « Ubi amor est, labor non est, sed sapientia. » Et *Serm. xliii*: Neque enim levis passio-nis austeritas et mortis amaritudo, sed tamen levis amanti. Et ideo non ait tantum: *Passivus*

*myrrha dilectus*, sed addidit: *Mihi que diligo, fusciculus est*.

## VERSUS 34.

*Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, et sine parabolis non loquebatur eis.*

*Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis, etc.*

**1.** — S. Anselmus ait: « Quasi dicat: qui prius « locutus sum per Prophetas, modo in propria persona aperiam os meum in parabolis. »

**2.** — Salmeron de definitione, conditionibus et utilitate parabolarum diffuse tractat; dicit igitur quod parabola significat *comparationem* seu *collationem*. Et quidem tametsi parabola et similitudo synonyma esse videantur, nihilominus tamen similitudo latius patet, parabola autem species est similitudinis; unde dici potest, quod omnia quidem parabola sit similitudo, non tamen e contra omnis similitudo sit parabola; siquidem hæc in textu Evangeliorum locum non habet, nisi per personarum introductionem: « Nunquam sumitur nisi inducendo « personam ratione præditam, vel negotium ratione « confectam, ut comparetur ad personam spiritua- « lem, vel ad spirituale et rationabile negotium. » Tandem hæc dici posse veram parabolæ definitionem concludit, si dicas: parabola est « rerum, « sive verarum, sive verisimilium, ad aliud signifi- « candum, apposta et artificiosa narratio. »

**3.** — Porro fines, ob quos incarnata Sapientia illis utebatur, omnes sunt mysteriis pleni. S. Hieronymus, in c. xvii *Matth.*, ait: « Familiare est Syris « et maxime Palesinis ad omnem sermonem suum « parabolas jungere, ut quod per simplex præcep- « tum ab auditoribus teneri non potest, per similitudinem exemplaque teneatur. » Inter cæteras vero quas habet proprietates, hæc eminent, quod altius in memoria impressæ remaneant, vehementerque delectent. Unde Salmeron idem scribit hæc verbis: « Doctrina parabolis tradita miris modis « affectus nostros conceclit, voluntatemque nostram « ad quodcumque velit, permovet, per collationem « sensibilium ad spiritualia. »

**4.** — Lucas Brugensis aliam reddit rationem, cur Christus parabolis frequentius usus fuerit, nimirum ut in auditoribus majus excitaret doctrinam, quam eis annuntiabat, intelligendi desiderium. « Quibus quidem pii, et veræ discipline cupidi, discipuli, inquam, et si qui alii hujusmodi in illa « turba erant, excitarentur ad inquisitionem veritatis. » In Evangelio porro legimus, discipulos sæpius precibus apud eum egisse, ut illis parabolis quasdam manifestaret et apertius interpretaretur, quas alias capere non poterant, prout in hoc eodem S. Matthæi capite legimus. Idem quoque Auctor insuper dicit: « Ut in aliud tempus declarandæ « veritati opportunitus attenti redderentur. »

**5.** — S. Marcus, iv, 33, de iisdem parabolis in Evangelio propositis tractans, rationem, cur Christus eis uteretur, his verbis exponit. *Talibus multis parabolis loquebatur eis Verbum prout poterant audire.* « Quo significat, » inquit Jansenius, « Dominum voluisse aptare suum sermonem ad caplum « auditorum, et ob id locutum in parabolis, quod « mudi sermonis nondum esset capaces. » Hæc quoque fuit discriminis ratio, cum proferendis semper comparationibus et similitudinibus popularibus specialem dederit operam, easque ad auditorum capacitatem adaptavit; quod vero nonnunquam non unam tantum, sed plures adduxerit, id ab eo factum est ad majorem auditorum satisfactionem et ad eorum delectationem, ut inquit Hieronymus, « quasi « dives paterfamilias invitatis diversis cibis refeceret, et unusquisque secundum naturam sui stomachi machi varia alimenta susciperet. » Hoc quoque motivum Chrysologus, *Serm. xcix*, hæc verbis adducit: « Loquitur nota diviti, usitata pauperi, « omnibus vitæ ipsius necessitati vernacula, quia « homo in Dei vocatione queritur, non discernitur « in ejus vocatione persona. » Enimvero Apostolus a Deo Doctor gentium declaratus, neque in Areopago Athenis, sed in coelo empyreo inter Cherubinos edoctus fuit; siquidem *audivit arcana verbo, quæ non licet homini loqui*. Et tamen idem Apostolus ad Corinthios, I, ii, 1, 2, scribens his verbis protestatur: *Cum venissem, ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientie; sermo meus et prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientie verbis, sed in ostensione spiritus et veritatis*. Multum in eo interest, ut quis se uniuscujusque capacitati accomodet; et ideo, ut bene Didacus Stella advertit: « Hæc de causa Christus sæpe idem sub « diversis parabolis aliquando prædicabat, quia « ubi congregatio est magna populi, varia sunt officia; » ac proinde varias similitudines ac parabolas proponat.

**6.** — Salmeron præter supradictas, duas alias rationes tangit, nimirum « ad velanda et togenda « divina mysteria; atque ita canibus et porcis occulenda. » Hinc est, quod Christus in parabola de seminare, Apostolis suis, *Matth.*, iv, 11, dixerit: *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant*. Alterum motivum erat, intra turbæ multitudinem multum persæpe abscondentur maligni, qui ad eum censurandum et taxandum eo conducerent: *Ut caperent eum in sermone*; ac proinde parabolis utebatur, ad evadendum ipsorum calumnias.



## VERSUS 35.

*Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem : Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.*

1. — Theophylactus notat, ideo S. Matthæum prophetici oraculi fecisse mentionem, per quod modus, quo Christus populus docturus erat, prædictus fuit : « Ne te putes Christum invenisse novum quemdam docendi modum. »

2. — S. Anselmus ait : « Eructabo, id est, de thesauro secreti mei emittam in prædicatione

« mea mysteria, quæ abscondita erant a constitutione mundi. »

3. — Theophylactus scribit, Evangelistam hisce verbis innuere voluisse, Christum revelaturum nobis esse mysteria cœlestia : « Mysteria quæ in cœlis sunt. » S. Paschasius in probationem propositionis hujus Evangelicæ sequenti textu utitur : *Inclinatæ aurem vestram in verba oris mei, apertam in parabolis os meum*; « non enim ait : *erigite*, sed *inclinatæ* humiliter aurem vestram, ut intus, quod sonat, non sono vocis, sed auditu mentis, sacramentum divini verbi intelligatur, quod absconditum fuit ab initio sæculi, et præfiguratum in Scripturis sacris. »

## DOMINICA SEPTUAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XX, VERS. 1

1. Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.
2. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam.
3. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, et dixit illis :  
4. *Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit, dabo vobis ; illi autem abierunt.*
5. Iterum autem exiit circa sextam, et nonam horam, et fecit similiter.
6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi.
7. Dicunt ei, quia nemo nos conduxit ; dicit illis : *Ite et vos in vineam meam.*
8. Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : *voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos.*
9. Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios.
10. Venientes autem et primi arbitrati sunt quod plus essent accepturi, acceperunt autem et ipsi singulos denarios.
11. Et accipientes, murmurabant adversus patrefamilias, dicentes :  
12. *Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestus.*
13. At ille respondens uni eorum, dixit : *Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum ?*
14. *Tolle quod tuum est, et vade ; volo autem et huic novissimo dare, sicut et tibi.*
15. *An non licet mihi quod volo facere ? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum ?*
16. Sic erunt primi novissimi, et novissimi primi : multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

## VERSUS 1.

*Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*

1. — Certum est, uti bene hoc loco Jansenius, *Conc. Evang.*, citat, observat, Christum in hac parabola in

regno Ecclesie suæ, Gentiles præferre voluisse Judæis ; simulque innuere, quod, qui hic contempti et postremo in loco habitati sunt, in cœlo obtenturi sint primas sedes, et contra, qui hic in pretio et æstimatione habentur, illine futuri sint postremi. Estque advertendum, inquit idem Auctor, quod Christus hanc parabolam posuerit, postquam « in regno Dei conjungendas Patriarchis, filios

« autem regni expellendos foras, » prædixisset. Porro per *Regnum cœlorum* « intellige ipsum in « utroque statu, » inquit Cajetanus, « vim scilicet « et termini ; nam operari spectat ad regnum cœlorum in hac via, merces vero ad idem in termino. »

*Homini patrifamilias.*

2. — Glossa dicit : « Pater iste familias Conditor « noster est, qui habet vineam universalem Ecclesiam, quæ ab Abel usque ad ultimum electum, « qui in fine nasciturus est, quotquot Sanctos « protulit, ut palmites misit. » Auctor Imperfecti hæc Christi verba exponens ait : « Homo paterfamilias Christus est, cui cœli et terra quasi una « est domus. » Porro Cajetanus rationem reddit, cur Deus, cum omnium creaturarum Pater sit et Dominus, nihilominus unius duntaxat familie Pater nominetur : « Licet Dominus sit omnium, respectu « tamen electorum Patrefamilias se exhibet, quoniam sunt domestici Dei. »

*Qui exiit.*

3. — Cajetanus ait : « Exire Dei est operari ad « extra. » Dionysius Carthusianus dicit : « Exiit non « locum mutando, sed aliquid de novo operando « suamque gratiam effundendo. » Porro ad hominem redimendum in propria persona venire voluit : *Ego veniam, et curabo eum*, non vero ad hoc servos suos misit, licet in Hierarchiis Angelicis innumera-hiles recenseret servorum suorum myriades : *Ministri ejus, qui faciis voluntatem ejus*. Equus autem, inquit Paulus de Palatio, mysterium verbi istius *exiit*, pro dignitate sufficienter explicare poterit ? « *Exiit Deus*. Unde *exiit*, qui omnia implet ? Licet « dicere : *Exiit ex se, ut intret in te, imo ut te con- « vertat in se : ut enim Verbum exiit a Patre, et « venit in mundum, ut deificet mundum, exiit, « inquam, quia deiecit se et humiliavit se, ita « Pater exiit velut a se, velut a sua majestate, ut « inhabitet in te. » Notandus quoque locus est, ad quem hic paterfamilias exiit, nimirum in publica platearum compita : « *Exiens venit in forum*. Quid « te, o Domine, movet, ut e loco pacis, lucis, sanc- « titatis, venias in locum tumultus, in regionem « umbræ mortis, in locum horroris et vastæ solitu- « dinis ? »*

*Primo mane.*

4. — Non expectat, donec operarii ad illum veniant, hi enim, ad laborandum in hac vinea, nunquam se loco moturi essent, nisi adinvitarentur. *Joan.*, vi, 44 : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*. Quando nos nostre salutis omnino oblitii, somnolenti et otiosi stetimus, Deus nos summo mane et primo diluculo, ut vigilemus, et excitati, labori nos accingamus, invitat.

*Rom.*, xiii, 11 : *Hora est jam nos de somno surgere, nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus*. Unde idem Deus, *Apoc.*, iii, 20, dicit : *Ego sto ad ostium, et pulso ; ab ipsis primis ætatis nostre annis lumen naturale, dictamen recte rationis, remorsum et synderesis conscientie nostre nobis imprimit : Illuminat omentem hominem venientem in hunc mundum. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. Quodsi igitur se quoad salutem nostram promovendam adeo sollicitum exhibet, quanto magis in nobis pigritia nostra reprehendenda erit ? Ipse nos excitat, ipse ad oculos sopore plenos luci aperiendo invitât, idque tunc vel maxime, quando nostri ipsius oblitii, et in vitiis lethargo sepulti sumus. *Joan.*, iv, 19 : *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*.

5. — Glossa interlinearis dicit : « Prima hora « est ab Adam usque ad Noe ; circa horam tertiam, « a Noe usque ad Abraham ; circa sextam, ab « Abraham usque ad Moysen ; circa nonam ho- « ram, a Moysese usque ad adventum Domini ; circa « undecimam, ab adventu Domini usque ad finem « mundi. »

6. — Albertus Magnus per mane pueritiam intelligit, per horam tertiam, juventutem ; per sextam, virilitatem ; per nonam, senectutem ; per vesperam vero, decrepitam ætatem interpretatur. Estque hæc doctrina S. Hieronymi a Glossa citati, dicentis : « Mane intellectus nostri pueritia est ; hora tertia, « adolescentia, quia jam sol in altum proficit ; « sexta, juvenus, cum plenitudo roboris solidatur ; « nona, senectus, quando sol, id est, calor ætatis « discedit ; undecima, decrepita ætas : in omnibus « his aliquid ad bonam vitam perducat. »

7. — Ab hoc bono patrefamilias, omnes, quibus gubernandæ domus sollicitudo, aut cura publica incumbit, vigilare discant. Sancta Mater Ecclesia in quodam Invitatorio Matutini per longum tempus hisce non verbis invitât : « Non sit vobis vanum « mane surgere ante lucem, quia promissit Domi- « nus coronam vigilantibus. »

*Conducere operarios.*

8. — Nulli inferat violentiam, ut laborandi causa vineam suam adeat ; siquidem Deus vult, ut per arbitrii nostri libertatem operemur, ideoque ad divinum servitium suum non coactos, sed ultroneos et voluntarios requirit : *Voluntarie sacrificabo tibi*, dicebat David, *Psal.* xxxiii, 8. Cajetanus ait : « Con- « duere autem Dei est, sub spe præmii inducere « homines : *Inclinavi cor meum ad faciendas justi- « ficationes tuas, propter retributionem. »*

9. — Chrysostomus ait : « Mercenarii sumus ; « mercenarius sine opere esse non potest, opera « autem nostra sunt opera justitiæ ; » quasi diceret sanctus hic Doctor : Character ille servorum et operariorum magis hujus patrifamilias non ideo nobis